

Adnectimus hic Exemplum Diplomatis ejusdem Comitis Josephi Rabbathae :

Nos Universitas Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae. Damus pro memoria, quod Nos praemeditato Animo et maturo Consilio illud quoque considerauerimus; Quam gloriosum et utile sit Reipublicae, non modo propriorum filiorum Sapientia, Virtute et robore sustineri et promoueri; verum Externorum quoque accessu & Aggregatione exornari et ampliari; veterum Monumentis, Imperiorum et Regnorum Annalibus Testimonie, etiam Sancti Stephani Regis Hungariae Decreti Primi Capite Sexto, et quotidiana rerum Experientia id testantibus. Hinc nos pro eo, quo in promotionem et Conseruationem Status nostri et Reipublicae flagramus Zelo, Salutare omnino et proficuum nobis et posteris nostris futurum existimabamus, si Excellentissimum Dominum Sacri Romani Imperij Comitem Josephum a Rabatha, ad Eiusdem Domini Comitis in eo factam apud nos repetitis uicibus competenter instantiam, in Commembrum nostrum suscipiamus et adoptemus: qui aliunde in Praesidio Carlostadiensj Sacratissimae Caesareae & Regiae Maiestatis Militiae Germanicae perantea Capitaneum et in eodem Confinio Vice Generalem Annis plurimis, adeoque Congentilem quasi nostrum, cum Omnium nostrum Satisfactione et Consolatione egisset, donec ad Majores et altiores Honores et dignitates Augustissimae Domui Austriacae Seruitiorum, ac tandem in modernum Eiusdem Generalatus Officium praeclaris suis et multiplicibus meritis atque uirtutibus assumptus et promotus cum Summa Laude ad nostrum omnium notitiam et Conspectum ijsdem perfunctus extitisset: Eundem itaque Dominum Comitem Josephum Rabbatha et Eiusdem haeredes masculos, uoto unanimj et Summa omnium Congratulatione, Articulo superinde in praesenti Congregatione nostra condito, non modo in nostrum indubitatum Indigenam uerum etiam iurium nostrorum Capacem et partem suscipimus et pro tali declaramus et publicamus, ea spe indubia freti: Quod ahinc etiam in eorundem Iurium et Libertatum nostrarum Conseruationem et ampliationem, suo pro posse fideliter et constanter idem Dominus Comes Josephus Rabbatha sit cooperaturus et concursurus suique posterij concursuri & cooperaturi: Et inde ipse quidem Dominus Comes Josephus Rabbatha suique chari posterij meritorum suorum gloriosam & perpetuam Laudem et Encomium: Nos porro et posteritas nostra indelebilem ac uberrimam memoriam et Consolationem simul consecuturi. Et quod praeterea idem Dominus Comes Josephus Rabbatha Suo et Suorum haeredum nomine in proxima Congregatione nostra super fidelitate Eiusmodj inuolabiliter praestanda et Continuanda Juramentum solitum et generalibus Decretis insertum sit depositurus. Datum Zagrabiae Die decima quinta Decembris, Anno Dominj Millesimo septingentesimo Decimo Tertio.

Renouabitur Diploma Indigenatus Regni Christophori olim Firinger, in Anno — sub sigillo Dominorum illius Temporis Statuum et Ordinum emanatum et in facie Praesentis Congregationis exhibitum, pro parte haeredum utriusque sexus eiusdem Christophori Firinger.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

1717. MENSE MARTIO. ZAGRABIAE.

Articuli Generalis SS. & OO. A. 1717 mense Martio Zagrabiae celebratae Congregationis.

Acta et Articuli Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Croatiae et Sclavoniae, in Generali ipsorum Congregatione, pro die prima Mensis Marci in Anno 1717, Zagrabiae, ex Edicto Excellentissimorum et Illustrissimorum Dominorum Comitum, Emerici Esterhazy perpetui de Gallantha, Episcopi Zagrabiensis et Suae Maiestatis Caesareo Regiae intimi Actualis Consilarii etc. et Joannis Draskovich perpetui de Trakostain, alte titulatae Maiestatis Consilarii et Came-